



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus I. De Judiciis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)



SECTIO I.
DE JUDICIO CIVILI.

TITULUS I.
DE JUDICIIS.

*Conf. Lib. II. Decretal. tit. 1. In Sext.
tit. 1.*



§. 1.

JUDICIUM hoc loco vocatur, quasi *Juris dictio* (i. e. *Judicii Definitio*). Solet definiti Legitima causa inter Actorem & Reum controversa per Judicem facta discussio & definitio.

A

§. 2.

1.) C. 10. de V. S.

De Judiciis.

*Divisio
in Civile
& Crimi-
nale,*

§. 2. Aliis Divisionibus prætermis-
sis I. respiciendo finem, Judicium
aliud est *Civile*, quod privatam re-
spicit utilitatem, etiamsi descendat
ex Delicto: aliud *Criminale*, in quo
tractatur de publica vindicta. Un-
de etiam *Causa*, quæ in Judicio dis-
cutitur, est vel *Civilis*, vel *Crimi-
nalis*: denominatio autem desumitur
non ex condemnatione Judicis, sed
ex actione & origine litis. Quando
enim Actor ad pœnam sibi applican-
dam civiliter agit, non potest Judex
causam criminaliter tractare, nisi ur-
gens ratio aliud poscat 2.)

*In Spiri-
tuale &
Profa-
num:*

§. 3. II. Respiciendo materiam Ju-
dicii, aliud est *Spirituale*, ubi de re
spirituali tractatur, uti de Beneficiis
Ecclesiasticis, de Hæresi: aliud *Pro-
fanum*, ubi de re mere temporali, uti
de Contractibus, Successionibus:
aliud *Mixtum*, uti de Pensione Eccle-
siastica.

*In ordi-
narium
& sum-
marium:*

§. 4. III. Respiciendo formam,
aliud est *Ordinarium*, in quo proceditur
cum forma & figura Judicii: 3.) aliud
Extra-

2.) MEVIUS p. I. Decis. 181. n. 4. seq.

3.) D. DE LUDOLF de Jure Camerali Sect. I.
§. 8. juxta nov. edit. fol. 71. censet Pro-

De Judiciis.

3

Extraordinarium seu Summarium, in quo sine prædictis proceditur, vel ex dispositione Juris, uti in causis Postulationum, Electionum, Dignitatum; vel ex Rescripto Principis; vel etiam ex consensu partium. Huc refertur Judicium Peregrinorum, vulgo das Gastrecht, ubi causæ eorum, qui vel ad jus suum persequendum ex distito loco adveniunt, vel dum in aliquo loco transeunt, in Judicio conveniuntur, summarissime expediuntur. 4.)

A 2

§. 5.

cessus ordinarii descriptionem juxta communes Ideas passim traditas, convenientiorem non esse, quam quod sit *Modus causas tractandi in Judicio, plenus superfluum atque inutilium verborum, formularum, tricarum, protelationum, frustrationum, quibus Administratio Justitiæ impeditur magis, quam promovetur, in bene constituta Republica non tolerandus. Acerbior hæc est descriptio, quam ut accommodari possit Tribunalibus bene ordinatis.*

- 4.) Mentio hujus Judicii fit in Legibus Romanis Novell. 80. c. 1. 2. & 3. Usus adhuc hodie in Germania habet, uti testantur BESOLDUS, SPEIDELIUS, WEHNERUS V. *Gastrecht*. Statuta Bavar. Tit. 19. Art. 8. & BARO DE SCHMID *ibid.* Novus Codex Judic. Bav. c. 8. §. 6.

*In Uni-
versale,
Genera-
le, Com-
mune &
Speciale.*

§. 5. IV. Respicendo quantitatem
petitam, aliud est *Universale*, in quo
petitur univèrsum jus, ut Hæreditas,
Beneficium: aliud *Generale*, quando
non univèrsum jus, sed generaliter
aliquid petitur, ut in actione pro So-
cio, pro Negotiis gestis &c. ubi mul-
ta quidem comprehenduntur; unum
tamen non venit in sequelam alterius,
sed unumquodque principaliter ve-
nit; cum econtra in Judicio univer-
sali res singulæ veniant in consequen-
tiam & minus principaliter: aliud
Commune, quando agitur de Commu-
ni dividundo, Finium regundorum,
Familix herciscundæ: aliud *Speciale*
seu singulare, ubi aliquid specificè &
singulariter petitur.

*Judices
Synoda-
les.*

§. 6. Inter Judicia Ecclesiastica mul-
tis querelis occasionem olim in Ger-
mania præbuerunt Judices Synodales
ab officialibus Episcoporum delegati
pro

& D. Baro DE KREITTMAIR ibid. Co-
LERUS de Process. Execut. part. 3. c. 6.
n. II. SCHOTTELIUS de singularib. in
German. Jurib. cap. 15. LEYSER Spe-
cim. 149. med. 6. & Specim. 684. med.
25. 26.

De Judiciis. 5

pro visitandis Parochiis (vulgo *die Send*, *Sendrichter*, nomine deducto a græco *συνδος* 5.). De his inter Gravamina Principum Germanorum Anno 1522. & 1523. Norimbergæ Legato Pontificio proposita, §. 77. non ferendum posthac onus dicitur, quod *Synodales Judices* quarundam Regionum oppidula & vicos ostiatim peragrant, censusque e domibus annuos exigunt &c. Huic gravamini plenissime satisfactum est.

§. 7. Magnum nomen in Germania olim habuerunt *Judicia DEI*, ut *Judicium Dei* vocabantur, ubi in defectu sufficientis probationis, causæ decidebantur per duellum, attactu ferri candentis, per aquam frigidam aut calidam &c. ex temeraria fiducia, quod DEUS innocentiae sit adstiturus etiam per miraculum. *Judicium per Duellum* vocabatur vulgo *Kampf-Recht* 6.). *Campiones* dicebantur, qui pro aliis, qui Duellum inire ex Lege jubebantur, & ex quapiam causa excusabantur,

A 3

cer-

5.) Ut putat WEHNER pract. observ. V. *Send*.

6.) Hujus formam accurate describit speculum Saxonicum lib. 1. art. 63.

certamen suscipiebant. Hæc labe
passim invaluerat in Tribunalibus
Laicis & Ecclesiasticis, ita ut Episco-
pi mitterent litigantes ad Judices Lai-
cos, pro duello imponendo, imo
etiam Missarum solennia præscribe-
rent, per quæ benedicerentur instru-
menta horum Judiciorum 7.). Ro-
mani Pontifices autem has Purgatio-
nes semper damnabant. Magis pium,
& que tamen superstitiosum videba-
tur Judicium DEi ad Crucem. Mis-
sæ tempore, homines duo conducti
ad crucem stabant brachiis expansis:
qui prior lassus brachia deposuisset,
aut titubantia habuisset, ejus pars
victa censebatur 8.). Hoc Judi-
cium

-
- 7.) De his multa DU CANGE Glossar. V.
Campio. Ceremonias, Benedictiones, &
Missam his Judiciis præmittendam
exhibet FRIDER. LINDENBROGIUS
Cod. leg. antiquar. fol. 1299. seqq.
ECKHART in Comment. ad Leg. Salic.
tit. 56. item in Append. Tomi II. de
Reb. Franc. Orient. HEINECCIUS Elem.
Jur. Germ. Tom. 2. lib. 3. tit. 6. §. 228.
seqq.
- 8.) Exemplum hujus ritus refert MABIL-
LON de Re Diplom. lib. 4. §. 54. fol.
281. & lib. 6. §. 51. fol. 499. aliud re-

eium abrogatum est sub Ludovico Pio 9.).

§. 8. Famosa inter Juris Publici *Judicium* Scriptores est Controversia de *Judicio* Principum in Germania. Certum *Principum*, est, Leges Romanas non posse accommodari ad ea, quæ hodiernum Germaniæ statum, & formam Regiminis Imperii Romano - Germanici respiciunt. Certum etiam est, Imperatores & Reges Germanos olim de Causis Principum majoris momenti, non nisi in Curiiis publicis, in præsentia aliorum Principum judicasse. Cum enim fixam & stabilem sedem non haberent, in variis Germaniæ locis ad præcipua anni festa singulari solennitate celebranda, longiorem moram traxerunt, eamque gravioribus negotiis destinarunt 10.).

A 4 tur

fertur in Act. Sanctor. in Vita S. Liobæ 28. Septemb. fol. 765. Variorum conjecturas de hoc Judicio recenset DUCANGE Glossar. V. *Cruce*.

9.) In Capitular. Aquisgran. ann. 816. C. 27.

10.) Legimus Diplomata data in Curia Epiphaniæ, in solenni Curia Paschæ, in solenni Curia Pentecostes. Vid. MABILLON de Re Diplom. l. 2. c. 26. §. 28.

tur solennioribus festis *Curias coronatas* celebrabant, in quibus Coronam gestantes magna pompa, praesentibus multis Proceribus, causas dijudicabant, aliaque majoris momenti negotia peragebant 11.). Hoc vocatur *Judicium Principum*, das Fürsten - Recht 12.).

*Præter
Causas
Criminales,*

§. 9. Disputatur, an idem Jus adhuc hodie vigeat. In causis quidem criminalibus Principum solus Imperator non potest decernere de Capite vel Banno Principis 13.). In causis civilibus & feudalibus Principum ac Statuum Imperii, ubi agitur de integris Regionibus, E. G. de Ducatu Juliacensi, multi putant, etiam hodie non competere soli Imperatori
abs-

11.) Multa de his congerit DU CANGE Glossar. V. *Curia*.

12.) Vid. KLOCKIUS Tom. I. Cons. 7. q. 2, a n. 145. LUNIG Staats-Consil. tom. I. Cons. 121. quod est FREHERI. ESTOR de *Judicio Principum*. STRUVIUS Corp. Jur. publ. cap. 25. PHILIP. ADAMUS SCHULTHEIS de Foro Comp. S. R. I. Princip.

13.) Forma habetur praescripta in novissimis Capitulationibus CAROLI VII. & FRANCISCI I. Art. 20.

absque conventu aliorum Principum potestatem judicandi. Provocavit ad hoc Jus Fridericus I. Rex Boruffiæ 14.) : provocaverunt similiter Durlacenses Osnabrugæ, ubi tractabatur Pax Westphalica : sed Cæsarei Legati 15.) responderunt, sibi de hoc Judicio nihil constare, postquam duo summa Tribunalia erecta fuerunt. Non erat opportunior occasio resuscitandi hoc Jus, ac eo tempore Pacificationis, ubi ipsi Sueci ad id hortabantur Germanos 16.) : sed omnino jugulatum ibi videtur istud Judicium, dum 17.) statuitur : *Liberum sit suæ Majestati in causis majoribus, Principum sententias exquirere.*

§. 10. Videtur igitur Jus istud Prin- *Hodie*
cipum omnino abrogatum ex ipso- *non est in*
rum Principum placito, præsertim *usu.*
post tempora Maximiliani I. Impera-
toris,

A 5

toris,

14.) Apud LUNIG Reichs-Canzley p. 7.
epist. 17.

15.) Apud MEJERN Act. Pac. Westph.
p. 4. fol. 919.

16.) Per libellum HIPPOLYTI A LAPIDE,
id est, BOGISLAI PHILIPPI A CHEM-
NITZ de Ratione Status &c. part. 2. c. 9.

17.) Instrum. Pac. Art. V. §. 55.

toris, erectis summis Tribunalibus Imperii: si nonnunquam suffragia Principum reliquorum exquisita fuerunt, liberum id erat Imperatori. Veteres etiam Imperatores talia Judicia exercuerunt occasione frequentium Conventuum, qui singulis annis bis terve celebrabantur: a quibus demum ipsi Principes abhorrebant ob nimios sumptus; & suaserunt Imperatori, ut viros doctos & rerum patriarum gnaros ad has causas dijudicandas constitueret. Habent tamen Principes jus nominandi ejusmodi Assessores, & etiam visitandi Cameram Imperialem.

Judicium
Vebmicum:

§. 11. Exoticam prorsus & insolitam judicandi formam observabat Judicium Westphalicum, dictum *Vebmicum* 18.). Fuit Judicium criminale, institutum, ut creditur, a Carolo M. ad compescendos Westphalos, qui a jurata subjectione & Religione sæpius defecerant 19.). Insolita severitate,

-
- 18.) Ineptas multorum derivationes vocis *Vehmen* videre licet apud SCHOTTELIUM de singular. Germ. Jur. cap. 29.
19.) ÆNEAS SYLVIVS in Histor. Europ. cap. 36. MEIBOMIUS de Irmensula Saxon. cap. 12.

ritate, aut potius crudelitate suspendebantur Rei non auditi, & ignari, a quibus Judicibus sint condemnati. Vigebat adhuc Judicium istud medio Sæculo XV, quo tempore Albertus II. Imperator Patres Concilii Basileensis hortabatur, ut causam quamdam profanam ad Judicium Westphalicum remitterent 20.). Demum post multos abusus transit in Judicia Provincialia Statuum Westphaliæ atque Hassiæ 21.).

§. 12. Melioris famæ & adhuc in *Centena* 2
Germania notum est *Judicium Centenæ*, quod habet Jurisdictionem Criminalem 22.). Præsidet Comes *Centenæ*,

20.) AUGUST. PATRITIUS in *Summa* Concil. Basil. &c. apud HARDUIN. tom. 9. & P. HARTZHEIM Concil. Germ. tom. 5. in supplem. fol. 833. ubi describitur modus procedendi in hoc Judicio.

21.) Autores de hoc Judicio scribentes recenset PFEFFINGERUS ad *Vitriar.* tom. 4. fol. 468. seq. videatur etiam HEINECCIUS *Elem. Jur. Germ.* lib. 3. §. 57. Quid in pluribus Imperii Conventibus de hoc Judicio ordinatum fuerit, reperietur in *Indice novæ edit. Recess. V. Westphalische Gericht.*

22.) *Cent- oder Fraiss-Gericht.* Vid. BESSOLD. V. *Cent.* Forte antiqui nostri *Ger-*

tenæ, vulgo *Cent - Graff*, dictus a Centurione, qui olim præerat.

*Et alia
quædam.*

§. 13. Singulares Leges & Formas habent Judicia circa quasdam causas, uti sunt Judicia Cambialia, Austregalia, Feudalia. Si inter Dominum & Vasallum de Feudo controversia est, non Dominus, sed Pares Curie judicant: hoc Judicium, quod multis in locis hodie abrogatum est, a Germanis dicitur *das Mann - Gericht*: vocem enim *Mann* sumi pro Vasallo, notum est, & ita quidem, ut
etiam

mani hoc nomine imitari voluerunt famosum illud Romanorum Judicium Centumvirale, de quo passim legi possunt cum ipsi Romani Scriptores, CICERO, QUINTILIANUS, PLINIUS &c. tum qui de Rebus Romanorum scribunt, quales sunt ANTON. AUGUSTINUS de Legibus Cap. 18. V. *Æbutia*. CAROLUS SIGONIUS de Judiciis lib. 1. c. 28. JOAN. ROSINUS antiquit. Rom. lib. 7. c. 30. SIBRANDUS SICCAMA, cujus tract. de Judicio Centumvirali GRÆVIUS inseruit Thesauro Antiquit. Roman. tom. 2. Locum ad *Centum Cellas*, ubi hodie urbs vetus, seu *Civita Vecchia*, dictum aliqui putant ab ejusmodi Centum Judicibus.

etiam famina subintelligentur sub hoc verbo.

§. 14. In Judicio sex consideranda *Conside-*
veniunt. I. *Jurisdictio*, de qua mox *randa in*
Tit. 2. II. *Personae*, de his *Tit. 3. 4. Judicio.*
 III. *Locus*, de quo ad *Tit. 8. de foro*
competente. IV. *Causa a Casu dicta*,
 tanquam materia & origo negotii,
 necdum discussionis examine patefa-
 cta. Hæc dum proponitur *Causa est;*
 dum discutitur, *Judicium;* dum fi-
 nitur, *Justitia 23.).* V. *Figura Judi-*
cii, de qua plerique Tituli hujus
 opusculi tractant. VI. *Tempus*, vel
 a Legibus, vel a Judice determina-
 tum ad singulos actus Judiciales, &
 demum terminandum totum Judicium.

§. 15. Quotidianas audimus que- *Corrupto-*
 relas de corruptis Judiciis nostrorum *rum Ju-*
 temporum: novæ istæ non sunt, cum *diciorum*
 passim occurrant in SENECA, PLUTAR-
 CHO, aliisque moralibus Philosophis
 antiquis. Eorum præsertim, qui in
 Judiciis succubuerunt, querelæ non
 sunt attendendæ, sed adscribendæ do-
 lori ob frustratam spem victoriæ con-
 cepto. Indagant tamen aliqui causas,
 ex

ex quibus facile corrumpi Judicia possunt 24.). Paucas subijcio instituto hujus libelli accommodatas.

Causa.

§. 16. I. Causa est promiscua turba sectantium Juris studia, quæ ad scholas Jurisprudentiæ admittitur. II. Perversus finis eorum, qui discunt aut exercent Jurisprudentiam, si mere spe lucri ducantur, Mercatores & venales invicem facti, querimus, non quale sit, sed quanti: ad mercedem pii sumus, ad mercedem impii: honesta quamdiu aliqua illis spes inest, sequimur, in contrarium transitori, si plus scelerata promittant 25.). III. Præcox adolescentum ad hæc studia accessus, absque adjumento disciplinarum, quibus ante Jurisprudentiæ studium imbuendus est animus. IV. Defectus Professorum Jurisprudentiæ, si in iis desideretur Virtus, Prudentia, Eloquentia, Eruditio, & Civilium negotiorum experientia. V. Facilitas in concedendis Gradibus & Honoribus Jurisprudentiæ. VI. Æquitas

24.) Vid. DIODORUS TULDENUS de Causis corruptorum Judiciorum & Remediis. GERARDUS NOODT Dissert. de causis corruptæ Jurisprudentiæ;

25.) SENECA Epist. 115.

tis non satis intellectæ simulacrum & falsa Idea. VII. Excessus Judicis in iis, quæ arbitrio ipsius relinquuntur. VIII. Judicium avaritia aut nimius luxus IX. Dissimulata munerum acceptatio. X. Neglectus Legum adversus corruptelas Judicium latorum. XI. Multitudo Causidicorum. XII. Eloquentiæ forensis abusus 26.). Hæc & plura alia passim auctores 27.).

TITU-

26.) *Cum nihil tam incorruptum esse debeat in Republica, quam suffragium, quam sententia, non intelligo, cur qui ea pecunia corruperit, pena dignus sit, qui Eloquentia, laudem etiam ferat: plus malè facere videtur, qui oratione, quam qui pretio Judicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest. Ita AMMIANUS MARCELLINUS Hist. lib. 30. ex CICERONE.*

27.) *De Judiciis & Processu Judiciario, præter innumeros alios, videri potest SIGISMUNDUS SCACCIA de Judiciis Causarum Civilium, Criminalium & Hæreticalium. LUDOVICI GILHAUSEN Arbor Judiciaria. PETRI RIDOLPHINI Praxis Recentior. CAROLI PELLEGRINI Praxis Vicariorum. PASSERINI Tribunal Regulare. PETRUS BARBOSA ad Tit. Pandectarum de Judiciis. BRUNNEMAN, EMERICUS A ROSBACH, SAMUEL STRYCKIUS de Processu Judiciali. P. ANTON, SÖLL S. J. de Judiciis Causar. Civil.*